

I E R E M I A E
P R O P H E T A E
T H R E N I
Carmine redditi:

U N A C V M C A N T I C I S B I B L I C I S ,
& nonnullis aliis sacrae Scriptura locis,

Authore I A C O B O L A T O M O
Canonico Louaniensi.

Eiusdem diuersorum Carminum filialia.



A N T V E R P I A E ,
Ex Officina Christophori Plantini ,
Architypographi Regij .

M . D . L X X X V I I .

GVILIELMI ESTI, SACRÆ
THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
ad Iacobum Latomum.

TEMPORIBVS letis Psalmorum leta
sonabant
Carmina, te plectro percutiente lyram.
Tristia temporibus subierunt tempora letis,
Protinus in luctum versa Camena tua est.
Quæq; suis olim Solymis lamenta canebat
Vates incensa mæstus in urbe sedens,
Heu nimium vero tu nunc ea, quando Latinis
Ornasti numeris, omine, nostra facis.
Scilicet haud alio melius, quām carmine tali
Plorabit casus Belgica terra suos.
Sed si flere iuuat miseros, animiq; dolorem
Subleuat artifici facta querela sono:
Hec aliquid tua(mæsta licet)modulatio fiet
Solamen nostris, & medicina malis.
Carminis ergo sacri dum vim tot cladibus æger
Percipit, authorem carminis orbis amet.

I E R E M I A E P R O P H E T A E
T H R E N I.

C A P V T P R I M V M.

Aleph.



V o m o d o sola sedet vacuis virbs
inclyta muris,
Quæ populi quondam plena fre-
quentis erat.
Vt mulier facta est natis viduata,

viroque,

Quæ iura, & leges gentibus ante dabat.

Hæc populis multos latè dominata per annos,
Nunc pendit dominis dura tributa suis.

Beth.

Ipsa suam sortem lacrymis de nocte profusis
Fleuit, & hæret adhuc plurima gutta genis.

Qui daret afflictæ blandis solatiæ verbis,
Non fuit: hanc odio, quisquis amauit, habet.

A quibus auxilium rebus sperabat egenis,
Hos sibi iam patitur Iudicata truces.

Gimel.

Gens Hebræa iugi impatiens mutare penates
Cogitur, & sedes hospes adire nouas.

Hic quoque speratum nescit reperire leuamen,
Nulla quies miseræ barbaro ab hoste datur:

Nil patriam liquisse iuuat, solitasque nonales,
Namque alio opprimitur non minus orbe malis.

Daleth.

Deserti lugent calles, plateæque Sionis,

Quod nemo veniens annua festa colat.

CANTICA BIBLICA.

CANTICVM ISAIAE. CAP. XII.

Confitebor tibi.

St animus, Deus alme, pias tibi soluere laudes,
Grataq; pro accepto verba referre bono,
In mala s̄æpe tuis ieram contraria iussis,
Irrarum fueram multa ego causa tibi:
Tu tamen infensum posuisti mente calorem,
Et consolator factus es ipse mihi.
Dicam igitur, Dominus meus est seruator, ob idq;
Secuto viuam corde, metuque procul.
Ille meum robur solidum, fœcundaque laudis
Dignaque materia est, denique sola salus.
Saluisci tandem Domini de fontibus haustas,
Sumere gaudenti mente licebit aquas.
Mutuò adhortantes hora dicetis in illa:
Laudibus æthereum tollite quisque Deum.
Illius augustum nomen, sanctumque vocate,
Solicitique pia semper adite prece.
Consilia ipsius totum vulgate per orbem,
Excelsi memoris nominis esse Deum.
Cuncta sonent Dominum letis concentibus ora,
Auxit magnificis commoda nostra modis.
Cura sit hoc spargi tractus telluris in omnes,
Nullaque pars huius cognitione vacet.
Exulta & lauda, ô habitrix turba Sionis,
Signaque lætitiae da manifesta tuæ.

Magnus

S Y L V V L A

D I V E R S O R V M

C A R M I N V M,

E O D E M A U T H O R E.

Q V A E A D P I E T A T E M I N P R I M I S

S V N T N E C E S S A R I A.



Æc tibi semper erūt studio scrūda fide-
Sinceræ titulum si pietatis amas. (li,
In primis animi mot⁹ cōpesce superbos,
Moribus & fastus omnis abesto tuis.

Nam Deus elatis obſiſtit mentibus, idem
Gratia, & auxilio corda modeſta iuuat.

Læſus ab iniusta ſi forte videbere cauſſa,
Ne tua lædendi poſtulet ira vices.

Nam Deus ad ſeſe vindictæ iura recepit,
Et vetat vltorem quemlibet eſſe ſui.

Ocia materiam viciis, cauſſasque ministrant,
Et multis grandi ſæpe fuerit malo.

Intendas igitur ſtudiis, ſanctoque labori,
Inueniatque caue peccitus inane Sathan.

Nullius tibi ſit melior fortuna dolori,
Eſſe bonus cuiniſ, ſit licet hostis, ames.

Ac bene de cunctis ſtudio teneare merendi,
Quantum vel vires conditione finent.

Turpe putes dictis alienam incessere famam,
Criminā quæ ſciētis iuſtiuſ illa tegeſ.

Contentus propriis, alienis parcito rebus,
Sit procul iniuſtis crescere velle bonis.

D 5 Magna